Quæstiones Tripodis in actu posteriori Bacchalaureorum Mar: 30 1609.

Vultus indicat virum.

QVid sine lucenti reprehendis *Mome* fenestra
Structuram humanam, quod sit opaca nimis?
Non patulis opus est vt noscas facta fenestris,
In cute quod latitat denotat ipsa cutis.
Haud aliter quàm qui *Siculum* mare puppibus æquat,
Aut norit cœli lucida signa Poli,
Extemplo piceis noscit fornacibus *Aetnam*,
Colligit et *Geminos* sydera bina videns;
Sic vario variæ naturæ munera vultu
Noscimus; in vultu mentis Imago manet.
Magnanimum quis non *Cyrum*, fortemq; putabit,
Cui duri Crines, Nasus aduncus erat?
Thersitem contra invalidum timidumq; pericli:
Cui caput exiguum, cui coma rara fuit?
Quem petiit *Veneris*, celerisq; *Cupidinis* arcus,
In facie pallor, nullus in ore pudor.
Fervidus Irato micat acribus ignis ocellis,
Indicat et Timidum squalidus ore color.
Mollibus ingeniis suffusa albedo rubore,
Alba velut Paphia Lilia mista Rosa.
Nempe Animi quocunq; trahunt sua corpora parent,
Præbentq; ingeniis organa quæq; modum.
ERGO
Interpres mentis vultus, cordisq; fenestra;
Exprimit hic mores, denotat iste virum.

Influentia cœlestis non imponit necessitatem.

COncursus cœli varios causare *Chrysippe*
Quod malus; At sceleris tute Magister eras.
Incassum culpas fatales *Zeno* planetas,
Mens tua non ignes hoc peperêre poli:
Clodius insimulat *Venerem*, *Cyllenidis* astrum
Cleptes, et Martis plena cruore manus.
Mentito puros fœdantes crimine cœlos
Audent cœlicolum contemerare choros.
Corniger es? sileas, forsan tibi cornua Taurus
Destinat, et *Fatum* stella sinistra dedit.
Furatur Maiâ genitus, quid furibus instas?
Furti stella potens auctor, & actor erat.
Stellanti radio quod Cœli curia cogit,
Cur damnat Iudex pandat *Apollo* tuus.
Porticus hæc resonat delirans, sanior horret
Cœtus Terrigenum, Crimina mente fluunt.
Non agit in mentem corpus, nec flectere credit
Humanos animos sydera posse Sophus.
Non cœlum supra, non infra Tartarus vrget,
Intra velle tuum sola Magistra manet.
ERGO
Cœlica mortales inclinant sydera mentes,
Non cogunt prorsus; Sponte nefanda facis.